

Optandum esset **praeterea** ut christiani principes civiles leges de coniugio ita **conformarent**, ut semper harmonice cum Ecclesiae legibus **consentirent**. Sic etiam consultum esset paci ac tranquillitati ipsius **societatis**. Quum enim in materiis, quae mixtae dicuntur, **cuiusmodi** ista est, de qua disserimus, ambae potestates ecclesiastica **et** civilis per modum unius amice conspirant, non modo **animarum** saluti, verum etiam tranquillitati ordinis ac temporanae felicitati optime consulitur.

CAPUT II.

De civili potestate **principum** fidelium circa matrimonium christianum.

ARTICULUS I. — Principes **christiani** nullatenus habent originariam atque exclusivam potestatem **constituendi** impedimenta Matrimonium christianum dirimentia.

Cum sermo sit de **principibus**, prout christiani sunt, atque christianis imperant, **ut** iis ius nativum supremum independens atque exclusivum **adstrueretur** constituendi impedimenta, quae nulla reddant ac irrita **fidelium** connubia, ostendi id deberet aut ex Scriptura aut ex **traditione** Patrum, aut ex canonibus conciliorum, qui se civilibus de matrimonio legibus attemperarent, aut ex ipsis connubialibus legibus, quae a christianis principibus datae perhibentur, prout nos ex istis fontibus ostendimus, ius originarium **constituendi** impedimenta matrimonium dirimentia Ecclesiae **competere**, seu convenire. Porro ex nullo e recensitis capitibus **huiusmodi** ius ostendi potest.

Non ex verbo Dei **scripto**, in quo de iure hoc altum est silentium, imo ut vidimus, **aequivalenter** excluditur, dum et Christus et Apostoli absque ulla a saeculari quavis potestate dependentia ius in matrimonium sibi tribuerunt atque exercuerunt.

Sed neque ex **traditione**. E tribus prioribus Ecclesiae seculis, non est quod **documenta** quaeramus, cum nulli essent tunc temporis christiani principes, quibus ius istud tribui posset. Reliquum igitur est, ut **huius** traditionis documenta a sec. IV. et

deinceps colligantur, unde conficiatur Patres, concilia et christianos principes agnovisse, ius constituendi impedimenta christianum matrimonium dirimentia ad civilem potestatem originarie, imo etiam exclusive per se pertinere, adeo ut potestas ipsa Ecclesiae hac in re a christianis principibus sit repetenda. Revera hoc est quod ex christiana antiquitate regiae potestatis defensores ac vindices colligere vellent, quorum ideo vulgare adagium est, *canones legibus, non canonibus adiectas fuisse leges*. At vero cum seculo Ecclesiae IV. primum principes ethnici Ecclesiam ingressi sunt, ea iamdiu erat in sua possessione originarii supremique iuris in matrimonium christianum, quod supra a nobis ostensum est (1). Sero igitur nimis christiani principes advenerunt, ut fidelium connubia moderarentur, atque supervacanea est inquisitio, an ex ecclesiastica traditione seculi IV. atque insequentium ius originarium atque exclusivum principum christianorum sit arcessendum in statuendis impedimentis. Etenim qui fieri potest ut traditio doceat, principes eo iure gaudere, quum ex antiquiori traditione constet, Ecclesiam eo iure ante ipsam principum conversionem potitam semper fuisse? Imo vero si qua occurrunt effata in Patribus atque in conciliis, quae favere principum iuri in christianum matrimonium videantur, ea ex traditionis et fidei analogia explicari commode debent, ita ut, quae dicuntur in legibus a principibus sancita, intelligantur, aut de robore exteriori civiles poenas canonibus ecclesiasticis adiecto, aut de legibus quidem civilibus ab Ecclesia approbatis atque adoptatis, ut sic possent vinculum coniugale afficere, quod ex se praestare non potuissent. Haec autem sunt, quae singillatim statuere atque in toto suo lumine collocare satagemus.

Itaque ex Patribus, qui a M. A. de Dominis atque ab eiusdem expilatoribus opponuntur, duo potissimum sunt, nempe S. Ambrosius et S. Augustinus.

« Ambrosius, scribit de Dominis, in Paternum satis commotus, quod filio suo neptem ex sua filia dare vellet in uxorem,

(1) Sect. I. cap. I.

» cum omnia colligeret quae ad tale connubium dissuadendum
 » possent inservire, nullam legem ecclesiasticam habuit, quae
 » id prohiberet, sed partim ex Levitico et aequitate naturali,
 » partim ex imperiali lege Theodosii deducit a simili argumenta
 » ad illud matrimonium improbandum (2). »

Ast S. Ambrosius, si rite eius perpendantur verba, haud repetit a lege Theodosiana recens edita illius coniugii prohibitionem atque inhonestatem, cum illa non afficeret nisi connubia consobrinorum, sed a lege divina Levitici adoptata ab Ecclesia (3), atque a consuetudine ab immemorabili in Ecclesia servata, quae ex S. Basilio, ut vidimus, *vim legis* obtinebat; quo factum est, ut S. Pater non potuerit sibi persuaderi, quod episcopus Paterni probaverit propositum connubium, cum id apud christianos fuerit inauditum. Sic enim scribit S. Ambrosius: « Istud inauditum, ut quisquam neptem suam in uxorem accipiat et coniugem dicat. » Ad dehortandum proinde Paternum ideo provocavit S. Doctor ad legem Theodosii, eo quod ab hoc imperatore pluribus honoribus Paternus fuerit auctus, ut saltem eius reverentia, qui legem nuper tulerat ad consobrinorum vetanda connubia, se abstinere a prosequendo coniugio non minus inhonesto. Haec sunt Ambrosii verba: « Sed si divina te praetereunt, saltem
 » imperatorum praecepta, a quibus *amplissimum accepisti honorem*, haudquaquam te praeterire debuerunt. Nam Theodosius imperator etiam patruales fratres et consobrinos vetuit
 » inter se coniugii convenire nomine, et *severissimam poenam*
 » *statuit*, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, et

(2) *De republica ecclesiastica* lib. V. cap. XI. quod inscripsit: *Matrimonii vinculum et causas a propria potestate Ecclesiae non pendere*. Londini 1617. part. II.

(3) Leges iudiciales, quae in Levitico continentur, non obligabant nisi Hebraeos, cessavitque plane illarum obligatio, ut caeterae omnes istiusmodi ceremoniales ac iudiciales leges Mosaicae, sub evangelio; proinde si vim quamdam adeptae sunt in ordine ad christianos, repeti id debet ab Ecclesiae acceptance: spectata tamen primaeva harum legum origine a S. Ambrosio aliisque Patribus dicuntur *leges divinae*, quamvis per se non essent nisi ecclesiasticae. Cf. Gerdil. *Tratt. del matrim.* part. I. §. X.

» tamen illi invicem sibi aequales sunt; tantummodo quia propinquitatis necessitudine, et fraternae societatis ligantur
 » vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt (4). »

Ex his duo habemus: primo quod coniugium, de quo agebatur, iam fuerit in Ecclesia prohibitum, et ita ut fuerit hactenus *inauditum*: secundo, quod S. Ambrosius nullo modo ex lege Theodosiana illam prohibitionem repetierit. Adeoque iam ex hoc Patre nostra thesis firmatur.

Alter, nempe S. Augustinus, ita ad rem suam affertur a de Dominis: « Sic etiam Augustinus, ut eosdem gradus excludat;
 » pluries amplificat congruentias aequitatis; nec lege ecclesiastica quidquam cautum profert: nam secundum gradum transversalem inter patruales et consobrinos prius licitum, iam legibus prohibitum affirmat: « *Experti, inquit, sumus in connubiis consobrinorum, etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per uxores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana* (5).
 » Audio adhuc Augustini tempore, profecto christianos matrimonia in secundo gradu transversali inivisse, et hoc tunc neque divina lege, neque humana fuisse prohibitum (6). »

Attamen neque S. Augustinus adversario favet, tum quia ipse loquitur in genere de hominibus etiam paganis, quibus horri fierunt connubia inter fratres et sorores, quae mundi primordiis necessitate impellente iungebantur, etiamsi a nulla positiva lege prohiberentur, prout etiam raro inter consobrinos celebrabantur coniugia: *raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat*; tum quia certum est longe ante Theodosium christianis coniugia consobrinorum vetita fuisse, ut constat ex allatis canonibus conc. Ancyrani, Neocesarensis atque Illiberitani (7)

(4) Epist. LX. n. 8. ed. Maur. col. 1019.

(5) Lib. XV. De civit. Dei cap. XVI.

(6) Ibid.

(7) Horum conciliorum testimonia, quibus vetabantur connubia consobrinorum, superius protulimus sect. I. cap. I. art. II.

et ex S. Basilio, ac propterea legem Theodosianam non adiecis-
 canonibus ecclesiasticis nisi sanctionem externam ac civilem ad
 coërcendos paganos et malos christianos, qui attentarent eius-
 modi connubia, seu prospexisse canonum executioni poenis
 temporalibus. Quo tantum sensu intelligi debent verba illa:
quod leges licebat, et nondum prohibuerat lex humana. Siquidem
 contra *factum* nihil valet; iam vero *facto* constat, leges ecclesias-
 ticas iamdiu extitisse vetantes ac irritantes ista coniugia inter
 consobrinos attentata (8).

Itaque neque S. Augustinus regalistic favet; attamen hi duo
 solum Patres a de Dominis adducti sunt.

Nunc expendenda concilia. Si enim fidem adiungamus Spala-
 tensi, ad aetatem usque Magni Gregorii nulla habetur sanctio
 canonica, qua prohibita fuerint coniugia ob gradus consangui-
 nitatis et affinitatis. Quod ut efficiat, provocat ad concilia Ancy-
 ranum, Neocaesariense, Illiberitanum, quae celebrata sunt an-
 tequam leges ab imperatoribus hac de re ederentur. Deinde vero,
 ut adstruat canones legibus imperatorum se conformasse in statu-
 endis impedimentis connubialibus, provocat ad canones concilio-
 rum Agathensis, Epaonensis, Avernensis, Turonensis et
 Aurelianensis. Singillatim idcirco et haec executiamus oportet.

« In Ancyrano concilio, inquit, legimus facinus cuiusdam,

(8) Hic sine animadversione dimittendus non est anonymus auctor cit. *Del diritto etc.*, qui ut certum assumit ex mente S. Augustini id omne licitum fuisse, quod non sit contra legem divinam et humanam, scilicet civilem. Porro prohibitum non erat lege divina aut imperiali coniugium episcopis, presbyteris et diaconis, attamen videmus iam a can. 28. apostolico statutum: « In nuptiis » autem, qui ad clerum proveci sunt, praecipimus, ut si voluerint uxores » accipiant, sed lectores, cantoresque tantum. » Item in conc. Carthag. III. an. 390. pariter ante legem quamcumque imperialem hic canon editus est: « Ut quod apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custo- » diamus; ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet, ut episcopi, » presbyteri, diaconi, vel qui sacramenta contractant, pudicitiae custodes, etiam » ab uxoribus abstineant. » Numquidnam censendum est Augustinum habuisse ut licita maiorum clericorum coniugia, eo quod nec divina nec civili lege essent prohibita? Augustinum, inquam, qui continentiae lege voluit obstrictos clericos etiam, qui quadam specie vis fuerunt ad clericatum promoti lib. II. *De adulterin. coniug.* cap. XX. n. 22.

» qui sponsae propriae sororem violaverat, ex quo etiam illa con-
 » ceperat sibi postea necem intulerat. Ibi tamen nihil habemus
 » de defectu matrimonii ex tali incestu. Solum ad poenitentiam
 » illi rediguntur, qui talis facinoris fuerant conscii et adiu-
 » tores (9). » Hoc quidem verissimum est, cum concilii scopus
 non fuerit inquirere in qualitatem delicti, sed poenis plectere
 illius facinoris conscios et cooperatores. Ast ex hoc silentio in-
 ferri nequit, non potuisse concilium constituere impedimentum
 nuptiarum. Sane can. X. concilium sanxit: « Desponsatas
 » puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui et iis reddi, quibus
 » antea fuerant desponsatae, etiamsi eis a raptoribus vim illatam
 » constiterit (10). » Quem canonem nos supra descripsimus ad
 ostendendam decisionem latam ab hoc concilio in causa matri-
 moniali; vox *placuit* denotat auctoritatem propriam iurisdicentis
 in decretis suis.

« Neocaesariense concilium, prosequitur ipse, gravem poeni-
 » tentiam indicit mulieri, quae duobus fratribus nupserit, et
 » supponit hoc iam esse illicitum; non tamen ipsum concilium
 » hoc tum primum prohibet (11). » Iuxta de Dominis conci-
 lium supponit hoc iam esse illicitum; ergo factum ne fuit illicitum
 ob leges Caesarum, quae nondum existebant (12), nec nisi
 post aliquot saecula prodierunt? stultum foret id asserere.
 Igitur illicitum fuerat penes christianos duobus fratribus, aut
 sororibus nubere ob *antiquum morem*, ut loquitur S. Basilius,
ac vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt
regulae (13). Ergo non a lege civili, sed a lege unice ecclesiastica
 vetitae fuerant eiusmodi nuptiae; quod plane evertit adversarii
 systema. Sed non opus est coniecturis, cum existat can. II.

(9) Ibid.

(10) Ex vers. Dionysii Exigui, apud Harduin *Acta concil.* tom. I. col. 273.

(11) Ibid.

(12) Quod nulla adhuc aetate illa promanaverit eiusmodi lex, quae talia
 coniugia vetaret, patet ex lege 4. 5. *Nos itaque ff. De grad.* omnesque iuris in-
 terpretes uno ore fatentur.

(13) CLX. ad Diodorum ed. Maur. tom. III.

eiusdem concilii : « Mulier, si duobus fratribus nupserit, abii-
ciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter mise-
ricordiam, si promiserit, quod facta incolumis huius coniunc-
tionis *vincula dissolvat*, fructum poenitentiae consequatur (14). »
Si *vincula dissolvenda*, agitur ergo de impedimento dirimente,
non autem prohibente tantum. Ergo ex hoc pariter concilio
evanescit paradoxum Spalatensis apostatae, quod nulla extet
sanctio canonica ad discernenda coniugia usque ad S. Gregorium
M. Notum enim est, concilium Neocaesariense celebratum fuisse
an. 314.

Pergit tamen Spalatensis, subditque : « Sic facit etiam con-
cilium Eliberitanum (can. 64.) adversus eum, qui post mor-
tem uxoris sororem eiusdem uxoris sibi matrimonio copulat ;
poenitentiam indicit tanquam in rem prohibitam et illicitam
(15). » Ast, sciscitor, quibusnam *legibus secularibus* pro-
hibitum ac illicitum fuit eiusmodi coniugium, cum *nullae* om-
nino saeculares leges id ante vetuerint, nec vetuerunt nisi post
duo plus minus secula a celebratione huius concilii Eliberitani,
quae contigit an. 305 ? En novum argumentum, quo destruitur
Spalatensis systema eiusque sectatorum. Certum siquidem est
ad istam usque aetatem et ad longum tempus postea per leges
seculares ista coniugia inter affines permissa ac licita fuisse.
Caeteris exemplis dimissis, constat Caecilium Metellum, uxore
defuncta, illius sororem sponsam duxisse ; Crassum defuncti
fratris duxisse uxorem, ut refert Plutarchus ; Pudentillae ta-
bular nuptiales cum viri mortui fratre prodit Apuleius (16).
Dixi etiam *longum post tempus* a celebratione huius concilii
licitas eiusmodi nuptias habitas esse, ut patet ex lib. 3. tit. 12.
leg. 2. ubi dicitur : « Etsi licitum veteres crediderunt, nuptiis

(14) Ex vers. Dionysii Exigui. Apud Hard. loc. cit. col. 282.

(15) Ibid.

(16) Cf. Ferdinandum de Mendoza in *Comment.* in hunc can. LXI. concilii
Illiberitani apud card. De Aguirre in cit. *Collect. maxima conciliorum omnium
Hispaniae* tom. I. lib. II. pag. 663. quibus plura alia adfecit ipsemet card. De
Aguirre in comment. novis ibid.

» fratris solutis, ducere fratris uxorem ; licitum etiam, post
» mortem mulieris aut divortium, contrahere cum eiusdem
» sorore coniugium ; abstineant huiusmodi nuptiis universi
» (17). » Itaque merito iurisconsultus de Mendoza scripsit :
« Primum, ut opinor, decretum litteris consignatum, quo con-
stitutum est, matrimonium affinitate impediri, hoc Hispa-
» norum episcoporum videtur, *antiquo Romanorum iure abro-*
» *gato*, quo licebat cum defunctae uxoris sorore matrimonium
» contrahere (18). »

Videndum iam utrum felicius res cedat Spalatensi, dum con-
nititur ostendere ex conciliis posterioribus, canones legibus se
conformasse civilibus in constituendis impedimentis connubia-
libus.

« Concilium Agathense, scribit, commemorat gradus prohi-
bitos, quorum nullus secundum excedit, et renovat prohibi-
tionem ; sed tamen fatetur, eos gradus iam esse prohibi-
tos : *quos omnes*, inquit, *et olim atque sub hac constitutione*
incestos esse non dubitamus. Concilium Epaonense totidem
» verbis repetit canonem concilii Agathensis (19). » Fatetur
quidem concilium, si placet, illos gradus prohibitos, ex more
nempe maiorum, seu Patrum, qui iamdiu prohibuerant, non
autem ex sola principum lege, tum quia ubi concilium cele-
bratum est, non amplius vigeat imperatorum lex, sed lex
Gothorum (20), prout etiam ubi celebratum est aliud concilium,
scilicet Epaonense (21) ; tum quia non solum haec concilia
statuerunt, ut in posterum irrita forent eiusmodi connubia, sed

(17) Cf. Golthofredium : *Codex Theodosianus cum perpetuis comment.* Lug-
duni 1665. tom. I. pag. 296.

(18) Mendoza loc. cit. cui concinit Natalis Alex., qui ex hoc canone concilii
Illiberitani infert, Ecclesiam auctoritatem exercuisse constituendi impedi-
menta matrimonii, ipso adhuc vigente persecutionis tempore. Cf. In Diss. XXI.
saec. Eccles. III. art. III. *De concilii Illiberit. canonibus et auctoritate*.

(19) Ibid.

(20) Sub Alarico enim, Gothorum rege, versabantur Patres Agathenses sub
Symmacho papa an. 506.

(21) Sub Burgundionum ditone, an. 517. Ecclesiam regente Hormisda papa.

praeterea declararunt valida, quae hactenus inita fuerunt matrimonia in illis affinitatis gradibus (22). Quo ostenderunt, se agere ex propria auctoritate, alioquin non probassent uti valida illa coniugia, quae iuxta Spalatensem et Launoium irrita fuissent per leges imperatorum; tum denique quia declararunt Patres, se non ex principum saeculi auctoritate, sed propria auctoritate et nomine canones edidisse. Sic enim subscripsit Caesarius, episcopus Arelatensis, concilii Agathensis praeses: « Ego Caesarius in Christi nomine, episcopus Arelatensis, iuxta id quod universis coëpiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, *statuta Patrum*, (non igitur imperatorum aut regum), secutus, his definitionibus subscripsi (23). » Sic vero Viventiolus, episcopus Lugdunensis et concilii Epaonensis praeses, haec adiecit: « Praesenti protestatione denuntio conventum episcoporum omnium sortis nostrae, circa Septembris mensis initium, in Epaonensi parocchia mox futurum; ubi clericos, prout expedit, convenire compellimus, laicos permittimus interesse. » Ut quae a *solis pontificibus ordinanda sunt*, et populus possit agnoscere (24). » Ergo frustra Spalatensis, Launoius ceterique eorum sectatores his innituntur ad proprium axioma firmandum, cum ex iis contrarium habeatur (25).

(22) In concilio enim Agathensi post recitata a de Dominis verba additur: « Quod ita in praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta, non dissolvantur. » Et in conc. Epaonensi pariter legitur: « Quod ut a praesenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt antea instituta non solvimus. » Quae quidem verba omisit Spalatensis.

(23) Apud Sirmondum: *Concilia antiqua Galliae* tom. I. pag. 175.

(24) In *Collect. amplissima concil.* Veneta tom. VIII. col. 556.

(25) Huc spectat causa, quae agitata est in concilio Lugdunensi I. paulo post Epaonense celebrato sub eodem S. Viventiolo, de quodam regis S. Sigismundi ministro nomine Stephano, qui duxerat defunctae uxoris sororem; quamvis enim rex ei suffragaretur, tamen nunquam adduci potuerunt Patres, ut ratum haberent istud coniugium, ac ministrum illum poenitentiae addixerunt. Cf. apud Sirmondum loc. cit. pag. 202 seqq.

Insuper Patres concilii Agathensis ad confirmandum impedimentum voti, quoad presbyteros et diaconos se unice referunt in can. IX. ad statuta Rom. pontificum Siricii et Innocentii I.

Id ipsum dicatur de conciliis Avernensi, et Turonensi II. quae pro se profert de Dominis scribens: « Avernense vero gradus eosdem, primum et secundum, quaquaversum matrimonia nulla effici docet, atque ex Levitico, et ex naturali aequitate, ab exemplo Apostoli, et statutis Patrum istas corroborat prohibitiones. Turonica synodus altera pro his ipsis consanguinitatis et affinitatis, non ultra secundum gradum, impedimentis confirmandis utitur primum Levitico, deinde resumit canones Aurelianensem, Epaonensem, et Avernensem (26). » Nam ipso apostata fatente, Levitici statuta quoad christianos vim habebant ex acceptione Ecclesiae. Cum praeterea eadem concilia profiteantur se Apostoli et *Patrum statuta* consecrari, quomodo ea proferre potuit ad probandum canones se conformare in statuendis impedimentis legibus principum secularium (27)?

Quoniam vero Spalatensis in adductis verbis concilii etiam Aurelianensis mentionem iniecit, non abs re erit adnotare, quod Patres Turonenses de isto testentur: « In synodo Aurelianiensi, quam invictissimus rex Chlodovaeus *feri supplicavit*, » concludantque: « Nos hoc, quod Patres nostri statuerunt, in omnibus roboramus. » Porro si ad Chlodovaei preces inita est synodus Aurelianensis; si Patres Turonici profitentur concilia antiquiora proferentes, se *roborare statuta Patrum*, consequens est illos non imperatoris aut regis, sed auctoritate propria et auctoritate ecclesiastica anteriori impedimenta matrimonium

(26) Ibid.

(27) Atque huc refertur praefatio concilii Turonensis, ex qua clarius apparet se propria auctoritate impedimenta constituisse: « Magna est in ipsa severitate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam ubi insana libertas generat vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Quapropter Christo auspice, in Turonica civitate concilio concordante, iuxta conniventiam gloriosissimi domini Chariberti regis annuentis, coadunati pro pace et instructione Ecclesiae, opportunum credimus subnexa decreta conficere. » Ergo iuxta hanc praefationem annuente Chariberto concilium celebratum est, sed propria auctoritate decreta confecit. Cf. apud Sirmondum loc. cit. p. 550.

dirimentia constituisse, imo et contra regum voluntatem (28)

Demum concludit Spalatensis: « Matisconense tandem secundum ad leges ipsas seculares in his prohibitionibus se refert:—Incestum, inquit, copulationem, in qua nec coniux nec nuptiae recte appellari leges sanxerunt, catholica omnino detestatur atque abominatur Ecclesia.—Leges vero hasce intelligendas esse seculares planum est, quia passim nomine legis statuta intelliguntur potestatis laicae. Nam ecclesiastica non vocantur *leges*, sed *canones*, et ideo idem concilium novum canonem sic incipit.—Licet reverendissimi canones, atque severissimae leges etc. — et can. XIV. reprehendit eos, qui calcatis canonibus et legibus quaedam iniusta committunt » (29). » Esto quod *legum* nomine a concilio statuta principum secularium designentur; quid inde? Numquid eiusmodi leges constituerent fundamentum canonum, qui a concilio editi sunt? Absit. Contrarium immovero Patres profitentur. Sic enim ibidem legitur: « Metropolitani omnes dixerunt: Deo auxiliante, communi deliberatione singula, quae necessaria sunt, a nobis definiuntur. Hoc universae fraternitati vestrae suademus, ut ea, quae Spiritu Sancto dictante, per ora omnium nostrum terminata fuerint, per omnes Ecclesias innotescant, ut unusquisque quid observare debeat, sine aliqua excusatione condisceat (30). » Si spiritu Sancto dictante constituti sunt canones, non igitur legum secularium auctoritate propositi. Eiusmodi legum unice fit mentio ad ostendendam illorum coniugiorum improbitatem, sed propria auctoritate canones a concilio constituuntur. Quod magis patet ex eiusdem concilii can. XVI. quo irritantur coniugia viduarum subdiaconorum, exorcista-

(28) Etenim Severinus Binius in nota ad conc. Turonens. scribit: « Sanctissimi Patres huius concilii hunc canonem statuere videntur ad corrigendum ipsum regem Charibertum incestus crimine labefactum. » In notis ad can. XI. conc. Turonens. II. in cit. *Collect. ampliss. concil.* tom. IX. col. 807.

(29) Ibid.

(30) In cit. *Collect. ampliss. concil.* tom. IX. col. 949.

rum et acolythorum post istorum obitum, nulla legum iniecta mentione (31).

Hunc eundem canonem renovat concilium Antissiodorense, cuius etiam meminit Spalatensis. Hinc iure merito adnotat Natalis Alex. quod « Canon vigesimus tertius (concilii Antissiodor.) » viduas presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum post eorum obitum nubere vetat; quarum matrimonia irrita declaraverat synodus Matisconensis secunda can. 16. quo vix ullum est illustrius argumentum, quo probetur Ecclesiam proprio iure et auctoritate impedimenta dirimentia matrimonio apposuisse (32). »

Cum vero haec tantum sint concilia, quae ad suam thesim probandam afferuntur a M. A. de Dominis, eaque nedum adstruant, eam potius evidenter labefactent, necesse haud est alia adicere.

Superest ad absolvendum quod nobis proposuimus, ut nonnulla dicamus de legibus ab imperatoribus et regibus christianis latis, quae pro obiecto habuerunt impedimenta matrimonium dirimentia. Pseudo-politici ac regalistae eis innituntur, ut adstruant ius originarium principum in illis constituendis. Quapropter si nos ostenderimus, illos imperatores ac reges in eiusmodi condendis legibus sese gessisse uti canonum executores, custodes atque tutores; et si auctoritate propria nonnullas leges condiderunt circa coniugia, ostenderimus illas vim in iis, quae ad vinculum spectant, in foro conscientiae non habuisse nisi ex Ecclesiae acceptatione, profecto ex adversa-

(31) En integrum canonem: « Illud quoque rectum nobis visum est disporre, ut quae uxor subdiaconi, vel exorcistae, vel acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non andeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, et in coenobiis puellarum Dei tradatur, et ibidem usque ad exitum vitae suae permaneat. » Ibid. col. 956.

(32) *Hist. eccl. saec. VI. cap. V. art. XXIX.* Canon. conc. Antissiodorensis celebrati an. 578. de quo disserit Nat. Alexand. in conciliis Galliae Sirmondi est numero XXII. his verbis expressus: « Non licet relictæ presbyteri, nec relictæ diaconi, nec subdiaconi post eius mortem maritum accipere. » Sermo autem est, ut patet ex canone praecedenti, de uxoribus, quas presbyteri, diaconi aut subdiaconi habebant ante ipsorum ordinationem.